



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Animæ pretium, dignitas, pulchritudo. Ex Vet. Novo, Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS. XIX.

ANIMA RATIONALIS.

§. I.

*Figura, Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

Divisit lucem à tenebris. Gen. 1. 4. Per lucē anima ostenditur, quæ carne præstantior est, per tenebras caro cum vitiis suis V. Bed. hic.

Fecit Deus firmamentum, & divisit aquas &c. Gen. 1. 7. Firmamentum anima rationalis. Aquæ superiores sancta desideria, & mundæ cogitationes; inferiores, terrena desideria, & immundæ cogitationes Hugo Cardin. hic.

Maniunculas in arca facies. Gen. 6. 14. Hugo Viç. lib. allegor. in Gen. c. 6. Arca est anima sancta, vel secretum conscientie; aquæ tentationes. Corn. à Lap. hic.

In terram, quæ fluit lacte, & melle. Ex. 3. 8. Terra promissionis est anima propria uniuscujusque, de qua Matth. 5. 4. *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrā*: hac terra fluit lac, & mel; ab hac terra peregrinantur, qui in carne habitant voluptati corporis dediti. Hugo Card. in Levit. c. 19. 23.

Nihilque erat in templo, quod non aurō tegeretur. 3. Reg. 6. 22. Cur Deus domum suam aurō exornari vult? ut ostendat, se non nisi in animis, charitatis aurō splendentibus, habitare. S. Bern. f. 27. in Cant. necesse est animum trēscere, ac dilatarī, ut sit capax Dei; porro latitudo ejus dilectio ejus est. Barradius. Dom. Pent. tom. 4. l. 4. c. 7.

Equitatus meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Cant. 1. 8. Non miraberis, unam animam equitatis multitudini similitam; si advertas, quantæ in ipsa, unaque tam sancta animā, virtutum acies habeantur; quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum. S. Bern. in Cant. f. 37.

Derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea. II. 1. 8. Juxta Origenem, vinea Dei, & pomorum paradisi, anima nostra appellari potest; cui si mens præfuerit, habet custodem mentis Deum. Sin autem vitia nos, quasi quædam bestia fuerint deprædata, relinquetur à custode Deo; & omnia nostra redigentur in solitudinem. S. Hier. hic.

Comparat S. Macarius Eremita hom. 1. animam cum Ezechielis curru c. 1. & 10. Videbat enim mysterium animæ, quæ Dominum suum amplexura, & thronus gloriæ futura erat. Anima siquidem, quæ cum Spiritu Sancto, præparante illam sibi in sedem, & habitationem, par-

ticipare lumen ejus dignata, & pulchritudo inenarrabilis gloriæ ejus illustrata est; tota sit lumen, tota facies, & tota oculi; nec ulla ejus pars, quæ oculis spiritualibus luminis plena non sit.

Quatuor autem illa animalia currum ferentia, typum præferebant præcipuarum animæ rationalis partium: voluntatem, conscientiam, mentem, & diligendi vim.

Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Cum corpus à terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi cælum, & terra sumus; & in utroque, id est, in corpore, & spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. S. Cyprianus lib. de or. Dom.

Si currus est anima; habet equos, vel bonos, vel malos. Boni equi, virtutes sunt animæ; mali equi, passionibus sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit, & revocat; bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, justitia; mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. S. Ambros. 1. de II. & anima c. 8.

Est ergo cælum sancta anima, habens solem intellectum, lunam fidem, alstra virtutes. S. Bern. f. 27. in Cant.

Quod est auriga curru, rector navi, fidi-bus Musicus; idem huic esse terrestri vasculo, qui finxit illud, animam voluit. S. Chrysost. tom. 6. or. de Instit. secundum Deum vita.

§. II.

*Animæ pretium, dignitas, pulchritudo.**Ex Veteri, & Novo.*

In principio creavit Deus cælum, & terram. Gen. 1. 1. Cur non statim hominem produxit? Facta est regia, creetur rex; ædificata est domus, producat habitator. Quid necesse est ad sextum diem creationem hominis referri? Philo. Jud. lib. de opif. principium, & finem, volens Deus inter se coaptare, ut res necessitudine conjunctas, & amicitia. principium quidem fecit cælum, finem verò hominem. Ex principio, & si ne fecit Deus circulum aureum; ut, quocunque se verteret homo, cælum videret. Amicum tibi est cælum, familiare; solum hominem agnoscit sibi necessitudine conjunctum; nexum amicitia ne dissolvas. Sit tibi temper familiarissimum; & licet situ remotum; mente, & desiderio, propinquum. Lactantius l. 2. de orig. error. c. 13. ficto corpore, spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui, qui est perennis: constat enim ex anima, & corpore; id est, quasi è cælo, & terrā: quandoquidem anima, quā vivimus, velut è cælo oritur à Deo. Luc. de Arcon in II. 1. v. 2.

Da

Da mihi animas, cetera tolle tibi. Gen. 14. 21. Diabolus hic figuratur in rege Sodomorum sic locutus. S. Alb. M. de Paradiso animæ cap. 26.

Anima cum obtulerit &c. Levit. 1. 1. anima, id est, homo per Synecdoch. Sicut caro sæpe totum hominem significat, ut Gen. 6. 12. *omnis caro corrumperat viam suam*; Jo. 1. 14. *Verbum caro*, id est, homo, *factum est*; Jh. 40. 6. *omnis caro fenum*; ubi nota, Scripturam uti nomine animæ, cum actum animæ, vel dignitatis habetur ratio; carnis verò, cum hominis vilitatem spectat. Corn. à Lap. hic.

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Job. 2. 4. q. d. Non parvus est homo pro anima salvanda, imò pro illa dabit divitias, & ipsum sanguinem. Bæza ut. 3. l. 14. c. 11. §. 7. Dilectissimam esse animam suam homini, etiam diabolus non negavit. Et quia avertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur; idem tamen charissimas esse debere cunctis suas animas confitetur. Salvianus ad Eccles. Cathol. l. 3.

Visitans speciem tuam non peccabis. Job. 5. 24. Animæ tuæ speciem sapius inspicias, & ita custoditus protectione misericordiae illius, non peccabis. V. Beda hic.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Math. 10. 30. S. Ambros. f. 26. Si capillorum nostrorum meminit, multò magis animarum nostrarum; per numerum enim curam circa nos cognoscimus: nemo enim numerat, nisi quod vult diligentius custodire.

Quemadmodum gaudium est in cælo super uno peccatore penitentem agente. Luc. 15. 10. ita tristitia multa est, & luctus, super una anima, quæ excidit vita aeternā. S. Macarius hom. 15.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius, ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est; quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta, delectant, sed anima ornata virtutibus. S. Hier. ep. 14. ad Paulinum de insit. Monach. Imperet anima nostra, serviat corpus; & statim veniet Christus, & habitabit in nobis. Id. in Pl. 76.

Quid eorum, quæ in faciem lucent, si interna cujuspiam sanctæ animæ pulchritudini comparetur; non vile, ac foedum, recto appareat æstimatori? S. Bern. f. 27. in Cant.

Totus iste Mundus ad pretium unius animæ æstimari non potest: non enim pro toto Mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Id. lib. de anima c. 3. Nobilem hospitem habes, o caro, nobilem valde! & tota salus tua pender de ejus salute. Id. f. 6. de triplici adv.

Magna res est anima, quæ Christi sanguine redempta est! gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari. Id. ep. 54.

Beata illa, & sempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus scilicet, summa potentia summa sapientia, summa benignitas, creavit quandam trinitatem ad imaginem, & similitudinem suam; animam videlicet rationalem, quæ in eo præfert vestigium illius sumæ Trinitatis; quod ex memoria, ratione, & voluntate, consistit. Id. f. 1. in parvis.

Vis scire, quantum sit pretium animarum? redempturus eam Unigenitus non Mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Vidisti magnitudinem pretii? quando erga eam tanti emptam perdidisti, quomodo poteris eam deinceps emere? S. Chrysost. in Pl. 48.

Hæc prius erat filia dæmonum, filia terræ, ipsa tellure indigna: eadem nunc facta est filia Regis. Hoc ut esset, voluit, qui flagrabat ejus amore. Qui enim amat, non magnopere observat modum; qui amat, non perspicit deformitatem. S. Chrysost. in Pl. 44. in illud: audi filia.

Nihil est, quod animæ possit æquiparari, nè universus quidem Mundus. Itaque si immensās eroges pecunias pauperibus; plus tamen effeceris, si unam converteris animam. Id. hom. 3. in 1. Cor.

Animam tuam deploro, numerosissimis, adeoque innumeris, populis adæquatam dignitatem; imò multis nominibus digniorem. Id. Parænesi ad Theodor. lapsus.

Licet anima unius naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam. S. Ambr. l. de dign. humanæ condit. c. 2.

Rerum omnium cursus obsequiis corporis, animarum constat imperio. Ennod. l. 6. ep. 3.

Rationalis spiritus, est imago summa Trinitatis; ut, sicut Deus est trinus, & unus; ita anima, cum sit una, habet tres potencias, quibus capax est Dei, scilicet rationem, memoriam, & voluntatem. S. Bonav. de renovat. mentis parte 1. c. 10.

Si pro una tantum anima totum, quod est in Mundo, appendas, aurum, argentum, metallaque cætera, margaritas omnes, prædia, possessiones, palatia, urbes, castra, ipsumque Mundum; nihil in ejus comparatione dedisti. S. Laur. Just. serm. in festo S. Thom. Apost.

Anima regum quid præfert ex eo, quod liberò voluntatis arbitrio utitur, pro purpura virtutem induta, quod omnium indumentorum est maxime regum; pro sceptro verò immortalitatis beatitudine nixa; pro diademe justitiæ coronâ honestata. Isid. Clarius l. 1. or. or. 8.

Anima hominis, facta ad imaginem Dei, est pretiosissima; plus quam capilli virginis, vel lac, seu vera crux, vel aliquod corporale. Si magnum peccatum esset, projicere capillos Christi, vel lac, vel crucem Christi, in sterquilinum; quanto magis de anima, quando pro-

proicitur in latrinam luxuriæ, est majus peccatum. S. Vinc. Ferr. S. 3. intra octav. S. Dominici.

Si videres unam animam finè turpitudine, & maculâ peccati; transfires sic mille annis, quòd nunquam velles comedere, nec bibere. Id. ferm. Sabb. post Oculi.

Si formarentur tot empyrii coeli, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, quot sunt etiâ stellæ maris; omnis pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudinis unius animæ. Tanta est excellentia ejus. S. Bernardinus, Sen. f. 51. Artic. 1.

Anima Christiana, baptismi trinâ immersione, ad plenum, tam ab originali, quam actuali peccato, purificata; mensâ Domini est purissima. Ad hanc enim, superbiorum regum, & omnium præditiu mensis despectus, accedit Dominus; ut reficiat, & reficiatur; ut ministret, & ministretur. Petr. Coll. l. de panib. c. 9.

§. III.

Anima quantum à Deo, & Christo, aestimetur.

Ex Veteri.

Non negabis mercedem indigentis pauperis, sed eadem die reddes ei mercedem laboris. Deut. 24. 14. Christus est indigens, & pauper, qui pro nobis in passione laboravit: cui reddere debemus eadem die, id est, in hac vita, pretium laboris sui; id est, nosmetipsos. Hugo Card. in Prov. cap. 3.

Audi filia. Ps. 44. 11. Hæc prius erat filia dæmonum, filia terræ, ipsâ tellure indigna; eadem nunc facta est filia Régis. Hoc ut esset, voluit, qui flagrabat ejus amore. &c. S. Chrysost. hom. in Eutropium, & ilud Ps. alitit regina.

Si ignoras te. Cant. 1. 7. An ignoras, quia tu es meus meridies? nosce teipsam, & in te invenies me: quia in te cubo, & pascor. Lud. de Ponte hic.

Quia amore langueo. Cant. 2. 5. S. Greg. vertit: *vulnerata sum à dilectione.* Ostendit hac oratione telum, quod cordi altè infidet. Qui autem telum jaculatur, est dilectio, seu charitas. Quæ paulò antè facta est scopus, nunc seipsam aspicit in manibus figitarii. *Læva ejus sub capite meo;* quia arcus tenditur, & dextera illius amplexabitur me, quâ telum dirigit. Tanquam sponsam sursum deducens ad participationem æternitatis. S. Greg. Nyss. hic. hom. 4.

Ecce merces ejus cum eo. Jf. 40. 10. q. d. Christus semper præ oculis habebit mercedem sibi à Patre paratam; scilicet quòd pro mercede obitæ mortis habebit dominium in omnes gentes juxta Ps. 2. 8. *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Merces ergo Christi sunt fideles, quos, quasi

oves, ei Pater pro mercede tradidit. Corn. à Lap. hic.

Si bonum est in oculis vestris asserere mercedem meam. Zach. 11. 12. Scilicet animas vestras, pro quibus mortuus sum. Et addit: *Si non, quiescite.* q. d. Nolite me amplius crucifigere. Hugo Card. in Ps. 108.

Ex Novo.

In manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23. 46. Sentu hujusmodi Christus orat, velut corporis Ecclesiæ cum ipso Capite Christo esset anima una, seu spiritus unus; ut amoris ejus vehementia unione charitatis, & fidei Sacramentò mysteriis, dicat Christus Patri de spiritibus omnibus sibi adhærentibus in veritate, quasi de Spiritu uno: *commendo spiritum meum.* Sim. de Cassia l. 13. v. 46. Consideremus Christi amorem, quem nobis Christus moriendo monstravit. Ait enim: *Pater, in manus tuas &c.* In hoc enim omnium Electorum suorum spiritum commendavit, & reddidit Deo Patri: in anima enim Christi unità per omnia Dei tati, certà notià scriptæ erant omnes animæ suò sanguine redimendæ; quas, ut animam suam, ad æternam gloriam dirigebat; pro quibus in lacrymis, & clamore valido, *exauditus est pro sua reverentia:* has siquidem Patri, animam suam recommendans, in ipsa omnes Patri suo recommendabat; atque omnes salvandas animas, velut suam unam animam fecit: facit enim altissima charitas, quod est alterius, esse suum. S. Bern. Sen. t. 1. f. 55. parte 2. O quantò labore, & quàm ferventi amore, quæsit animam amorosus JESUS! Virginis uterum vix egressus, & dilectam animam more infantium vocat A! A! A! Anima mea! anima mea! anima mea! te quæro! pro te inveniendâ hanc peregrinationem assumo. Id. Artic. 2. ferm. 51.

Pater, in manus tuas &c. Luc. 23. 46. hæc quoque Christi commendatio in animarum nostrarum commodum cedebat: quippe quas ille à corpore, quod inhabitaverant, abolutas, quasi quoddam depositum, in Dei viventis manus eâ oratione tradebat. Victor Antioch. in c. 15. Marci.

Nuptiæ factæ sunt. Joan. 2. 1. Unde tibi, ô humana anima! unde tibi tam inæstimabilis gloria? ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? S. Bern. f. 2. de mut. aquæ in vinum.

Fatigatus JESUS ex itinere. Joan. 4. 6. Nunquid Dei virtus poterat fatigari? non utique; sed fatigabatur, quòd fidelem populum invenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Christus, quando nullam virtutem in suo populo recognoscit; hodieque fatigat illum infirmitas nostra. S. Aug. f. 92. de temp. Sylv. in Joan. 4. Fatigatur, quia ad dilectam animam Samaritanæ properabat, Elscob. l. 3. obs. 1.

Ego sum via. Joan. 14. 6. Jo. Raulinus f. 23. de Sanctis: attende, quòd Christus se non ductorem via, sed ipsam viam appellavit; ut videas, quòd se Christus deiciat amore animarum.